







NUPTIÆ PELEI ET THETIDOS RENOVATÆ.
Hoc est
AUSPICATISSIMUM
LEOPOLDI. I. ROMANOR. IMPERAT. SEMP. AUG.
HUNGARIÆ BOHEMIÆ etc REGIS. ARCHIDUC. AUSTR. DUCIS BURGUNDIÆ etc.
et
SERENISSIMÆ
ELEONORÆ MAGDALENÆ THERESIÆ
NATÆ COMIT. PALATIN. RHENI. DUC: BAVARIÆ IULIÆ CLIVIÆ MONTIUM. etc.
CONNUBIUM
ſymbolicis DEORUM muneribus honoratum
â tribus SOCIET IESU Collegÿs, Dusseldorpienſi, Marcodurano, et Monasterienſi Eifliæ, itemq Reſidentiâ Iuliacenſi et 3. miſsion.
anno quo
LeopoLDVs seCVnDIs aVspICIIs et prœLIIs reCepIt à GaLLIs PhILIppopoLIn.

I. C. Scholÿ delineavit | Löffler Iunior fecit.

A D M E R C U R I U M,

ut ad novas

P E L E I & T H E T I D O S

N U P T I A S,

reliquos Deos convocet.

pLeIaDe nate Deâ, sVperIs afsVete beatIs
nVnt Ia pernICI ferre, referre graDV;
hVC age: neCte CItVS CeLerI taLarIa pLantæ,
et CapItI pennas protInVs aDDe tVo.
At CaVe, ne tortVs CIngat tIbI sCeptra Cerastes:
MyrtVs &, ILLIVs sIt, rosa grata, LoCo.
MVtentVr CyprIo fLVItantIa baLthea Cesto:
et VIbret aCCensas Læta sInIstra faCes.
neC tegeæe roga, CyprIIs CœLestIa sIgnIs
CVr te teLa VeLIM Vertere: CaVsa patet.
sCILICet æaCIDes renoVat ConnVbIa peLeVs,
aC sIbI præsentes postVLat esse Deos.
InDe petIt, qVo se nVper DIgnatVs honore es;
nVnC sIbI ne, roseâ pLeIaDe nate, neges.
ergo age, ne VeterIs VILesCat gratIa faCtI;
I preCor, aC DIVos aD saCra festa VoCa.
AspICe: IaM festIs ornata tapetIbVs aVLa,
et noVa stat sponsIs sponDa parata noVIs.
IaM thetIs aD notI properat paLLatIa sponsI,
eXoptans faVstas Læta sVbIre fores.
AspIrat parIter VenIentIs aD osCVLa sponsVs:
non patItVr pIgras res (age perge) Moras.
perge per IDæas, qVas IVpIter obtInet, arCes,
perge per IDaLIæ rVra sVperba Deæ.
perge per oDrysIas, VbI regnat MarspIter, oras;
et per IVnonIs pVnICa regna VoLa.
per Lætos CynthI CoLLes, VbI DeLIVs VsqVe
CastaLIas Inter pergIt apoLLo Deas.
per baCChI thebas, per DeLIa rVra DIanæ,
CeCropIásqVe Vrbes, sICanIósqVe foCos.
atqVe IbI regnantes ora per sIDera DIVos;
aD saCra non segnes festa VenIre VeLInt.
InsVper apta ferant pro tantIs MVnera sponsIs:
qVeIs CeLebrent faVstI fœDera grata thorI.
et sI fortè rogent, In qVâ regIone VeL Vrbe
Magna thetIs sponso sIt soCIanDa sVo?
DanVbIVs refLVIs qVà Latè eXæstVat VnDIs;
DIVáqVe passaVIos VIrgo tVetVr agros:
hIC thetIs & peLeVs, DICes, ConnVbIa speCtant:
hVC parIter LætI, sI LIbet, Ite DII.
hæC fatVs, tenerâ Labens per InanIa pennâ,
aD nos, VnDe VenIs, DIrIge pronVs Iter.
sponsVs, VbI sVperos, & te VenIsse notabIt;
præMIa ConstantI DIgna Labore feret.
MoX tener ante tVas VItVLVs IVgVLabItVr aras,
InqVe tVos VenIent VIna, DapésqVe rogos.
Ipsa thetIs parIter nIVeo CarChesIa LaCte,
fœtáqVe fLaVentI poCVLa MeLLe feret.



Quid fabula; nisi personata Veritas?
Quam Veritati larvam poësis addidit; detrahit tempus.
vides NUPTIAS
Fictas PELEI & THETIDOS; veras LEOPOLDI & ELEONORÆ;
illas Deorum; has Bonorum omnium
congratulatione fortunatas.
In utrisque
PARIDIS & CÆSARIS
subjectum judicio pomum
Illic ut pulchritudinis præmium; hîc ut Imperii Romani symbolum.
Prensabant illud discordes Divæ; hoc diversæ Europæ Heroides:
Exclamat illic Deorum nuncius; hîc boni publici Præses Angelus
DETUR PULCHERRIMÆ, DIGNISSIMÆ.
Audit PARIS; audit & CÆSAR:
Aberrat PARIS amator formæ; non aberrat CÆSAR virtutis æstimator;
Dum ille Veneri pulchritudinis præmium; hic ELEONORÆ dat Imperii symbolum.
Nimirum idem in hoc *Dei* & *Cæsaris* judicium est.
Deus *Eleonoram* Magdal. Theres. festâ SS. Trium *Regum* luce in lucem protulit,
& portendit *Regnum*.
LEOPOLDUS Eleonoram Magd. *Theresiam* festâ *S. Theresiæ* luce sponsam pronunciat,
& defert *Regnum*:
imò non unum *Regnum*; sed tot *Regna*;
Quot in *Cli-vensi* Paterni clypei *rotâ* spectantur *sceptra, regnorum argumenta.*
Factum bene: Nam
Si *Regna* debentur *sanguini*; *Cognata*, est: si *scientiæ*; *Pallas* est:
Si *pulchritudini*; *Nympha* est: si *fortitudini*; *Amazon* est:
Si *humanitati*; *Gratiarum quarta* est.
Quot in eâ quis membra numerat; tot digna conspicit Imperio ornamenta.
Itaque quantum *Paridis factum improbant*; tantum *Cæsaris judicium dilaudant*
Summi, Infimi, Medioxumi.
Quorum id unum omnium votum est
Vt æterniVM VIVant LeopoLDVs & eLeonora.

A 2 LEOPOL.

LEOPOLDUS ELEONORAM

monstrante Cœlo

THRONI & THORI

Sociam eligit.

Regnare Divos credite: siderum
Non absque certâ lege volubiles
Torquentur orbes: nec per omnem
Sola rotat furiale sceptrum
Fortuna mundum. Námque ubi regios
Fortuna fasces dividit impotens;
Plerumque terrarum capessit
Impietas furiata frœnum.
At nunc feroci jura libidini
Iræque leges scribere pertinax
Virtus triumphat; & superbo
Diva sedet pietas curuli.
Vides, ut almæ filia Juliæ
Sublimis alto considet essedo,
Hunnósque Germanósque latè
Imperio moderata fines?
Talis profundo surgit ab æquore
Post longa noctis tædia Cynthius;
Gratósque per mundum serenâ
Fronte procul jaculatur ignes.
Agnosco Numen, Conciliantium
Numen Deorum: quæ patrios diu
Secreta servabat penates,
Cœlituum statuente cœtu
Ad alta virtus tollitur: omnium
Ut inde in usus pulchriùs ardeat,
Et luce Germanum deinceps
Exhilaret meliore mundum.

Te Numen intùs scilicet altius
Cæsar, movebat; cùm thalami decus,
Regnique divisum dedisti
Juliacæ, Leopolde, Nymphæ.
Qui nempe magni Thariadæ genus
Longinqua vastæ regna Medamnidos
Lustrare, formosámque jussit
Inde suo thalamo *Rebeccam*
Inferre quondam: Qui Raguelidos
Ambire tædas edocuit pii
Prolem Tobiæ: qui decoram
Isaciden voluit laboris
Durâ pacisci sorte Nachoridem;
Hic, cùm moveres Virgineas prece
Constanter aras; sume, dixit,
Juliacam, Leopolde, Nympham.
Ut nempe scires, Hanc Alemannidum
Ad sceptra natam; quæ prior aureis
Aspexit in cunis jacentem;
Lux triplici radiata Regum
Fuit coronâ. Convenit ætheri,
Tibíque Cæsar: Quod placidò polus
Nutu spopondit; Tu serenâ
Stare jubes diademata fronte.
Perire Regnum non poterit, Deo
Quodcunque curæ est: nec sterilis diu
Thorus relinqui; conjugales
Cûi superi statuêre tædas.

VOTUM

SOCIETATIS JESU

Pro salute & incolumitate Augustissimorum Conjugum.

Ô Pater, ætheres reCtor fortIssIMe gentIs,
PenDet ab arbItrIo VIta, saLVsqVe tVo.
ECCe PaLatIno Cæsar sVCCenDItVr Igne;
AVstrIaCóqVe nItet tertIa tæDa thoro.
Da, VIVant, VIgeantqVe tVo sVb NVMIne sponsI;
EX nVtV nVper qVI CoLêre tVo.
In tVa IVratæ, IesV pIe, noMIna tVrbæ
ID te non faLso peCtore & ore rogant.

ODOR



ODOR HOMINIS, VIRTUS est.
Hæc flore quovis & fragrat dulciùs, & latiùs spirat.
Odor floris trahit apes; odor virtutis allicit corda,
quantò suaviùs, tantò potentiùs.
Nimirum *virtutis vis magnetica est.*
Trahit & trahitur;
Sed non, nisi ubi virtutum similitudo peperit sympathiam.
Exempla quæris?
habes LEOPOLDUM & ELEONORAM
quàm sexu dispares; tam similes virtute.
Austriacus LEOPOLDO sanguis est; ELEONORÆ Austriaco-Palatinus:
Ex iisdem Majoribus per Fridericum, Maximilianum, Philippum & Ferdinandum *traxêre originem*;
ab iisdem Majoribus hæreditavêre virtutem.
Hinc utriusque si spectes *facundiam*; sunt *Suadæ corcula*:
si attendas *scientiam*; sunt *Musarum deliciæ*:
si *prudentiam* consideres; sunt *ævi* sui *oracula*;
si *virtutem* perpendas; sunt *sanctitatis exempla.*
omnia in utroque *paria, omnia summa.*
Quid ergo mirum, in mutuos amores trahi Augustorum corda,
ubi *amori facem prætulit virtutis similitudo*?
Nimirum quod inter gemmas Pantarbes; hoc inter homines agunt
LEOPOLDUS & ELEONORA.
Pantarbes aurum trahit; illi auro virtutum spectata amantium corda,
LEOPOLDUS ELEONORÆ & ELEONORA LEOPOLDI:
utérque *nil vile trahit.*
Amor profectò illorum nec *cæcus* est; quia utitur *judicio*:
nec *alatus*; quia fertur *consilio*:
Iudicio, dum *cautè seligit*: *consilio*, dum *maturè perpendit.*
Hinc esse credo, quòd non prodiit, nisi in *Autumno*,
quando omnia sunt *matura.*
Maturent superi dulces amoris fructus,
qVos eX se proMIttVnt LeopoLDVs & ELeonora.

LEOPOL-

LEOPOLDI & ELEONORÆ
AUGUSTISSIMORUM CONJUGUM
Efficaci ad omne virtutum genus exemplo felix Imperium.

Frustra severas scribis adultero
Seleuce leges; si temeraria
Libido te victum propinqui
Jura docet violare lecti.
Plus lege semper publica Principum
Exempla possunt. Dum patrias piè
Donisque victimisque Princeps
Jessiades cumulabat aras:
Exempla Regis mox popularium
Traxére turbas: & penetralia
Plerumque Divorum calebant
Thure sacras animante flammas.
At cùm Tonantis sacra nefario
Vecors Manasses proruit impetu;
Ubique neglecti profanis
Isacidis jacuêre Divi.
Quò nempe Reges prætulerint pedem;
Vulgus sequetur; Non Erymanthidos
Sic astra magnes; non micantem
Sic sequitur vaga luna Phœbum;
Ut turba Reges. Heu! superis priùs
Dilecta tellus Anglia, quò ruis?
Dum Regis exemplo paternas
Nil refugis temerare leges.
Effrænis illic sustulit Hæresis
Vexilla; victrix nuper ubi Fides
Latè subhastatis trecentos
De vitiis retulit triumphos.
Hoc Regis error præstitit unicus!
O fata regni dura! sub impio
Quodcunque Rege est: ô beatam!
Si qua pios habet ora Reges.
Te, crede, dextrô lumine blandior
Aspexit æther, gens Alemannidum;
Dum sceptra *Cæsar Magdalenæ*
Teutonici moderanda secum
Concessit orbis. Nam socialibus
Dum Cæsar illinc, hinc Neoburgici
Germen Palatinum Dynastæ,
Sceptra regent Alemanna dextris:
Nec te barathri trux Acherontici
Pestis nefandis seditionibus;
Nec Martis armati cruento
Impietas quatiet flagello.
Dum nempe Virtus & Pietas thronum
Augusta servat; turbidus exulat
Furor, triumphatumque perdit
Impietas furiata regnum.
Jam tum, propinquos Fama per Hungaros
Dum pacta narrat connubialia;
Vidi Genevensem trementi
Hæresin extimuisse vultu.
Tunc ad cruentam Tisiphonem quoque
Pavente dixit voce Rebellio:
Linquamus orbem, patriasque
Heus sociæ! repetamus umbras;
Jam Pax, & albis vecta curulibus
Cum Pace Virtus tendit ab æthere:
Jam missa de cœlo jacentes
Prisca fides renovabit aras:
Linquamus orbem. Sic manibus jubent
In sancta nexis fœdera Cæsares,
Virtute jurati magistrâ
Sancta tribus dare jura regnis.

VOTUM IMPERII
Pro incolumitate Augustissimorum Conjugum.

VIVat, Io! Cæsar: VIVat CVM Cæsare ConIVX:
VIVat TeVtonICo CarVs VterqVe throno.
stabIt, & æternos TeVto fLorebIt In annos,
DoneC In aMbobVs VIta sVperstes erIt.
qVæ pIetas & sanCta fIDes DefenDerIt; Ista
NON VI, non teLo regna perIre qVeVnt.
sponsI nota fIDes, pIetas notIssIMa sponsæ est:
HIs nIhIL AVsonIVs sanCtIVs orbIs habet.
BeLLa ferant TVrCI, CrVDeLIa beLLa rebeLLes:
serVat ab hIs pIetas CæsarIs, atqVe fIDes.

Cithar



Cithara myrto coronata
fortunati conjugii ſymbolum eſt.
Quod in Citharâ *chordæ;* hoc in conjugio ſunt *corda:*
conſpirantes *chordæ* ſuavem generant *concentum;*
conſpirantia *corda* quovis concentu gratiorem *conſenſum.*
ex conjunctis *chordis*, & *cordibus*
amabilis oritur harmonia: id eſt
Concors ſonorum & animorum *diſcordia.*
Cithara curarum ſolamen eſt, & ægritudinis remedium;
curis quoque & ægritudini medetur conjugium:
hæc curas cantando diſcutit; illud dividendo diſpellit;
Dum alter alterius onera ſuſtinens, curarum pondere levat conſortem.
Cithara Amphionis, ſi Flacco fides eſt, urbem Thebanam condidit;
ſacer conjugii uſus urbes, & orbem civibus & Rectoribus implevit.
Laudibus Divorum ſubſervit cithara; ſubſervit & conjugium;
illa Divorum laudes inſonat; hoc laudatores producit.
Quid multa?
In conjugio citharam, in citharâ habemus conjugium.
Citharam hanc vobis, *Auguſti conjuges*, Apollo conſecrat
Muſarum præſes & muſicæ,
Muſarum, & muſices amantibus:
Quæ, ut dignior eſſet veſtris manibus, Davidicis eſt olim manibus conſecrata.
Erit illa veſtri, non modò conjugii; ſed & typus Imperii;
Non citharæ chordas, ſed populorum corda
in amabilem componentis pacis concordiam.
Accipite igitur dicatam vobis, *Auguſti*, citharam:
habetis in illâ concordiæ teſſeram, curarum medicinam, regendi magiſtram:
habetis denique, ſi vultis, etiam virtutum veſtrarum laudatricem.
Vos, dum in illâ fides & chordas aſpicitis;
ſubditarum vobis gentium, in iis fidem & corda agnoſcite:
quibus in unum conſpirantes
annos perpetVos eX anIMo VoVent LeopoLDo & eLeonoræ.

APOLLO

APOLLO & MUSÆ
AUGUSTORUM CONJUGUM
laudes concinunt.

Eja ſacra gens, Camœnæ;
Seu perennis Hippocrene,
Seu paterni vena fontis,
Seu bicornis terga montis,
Sive Cynthi, ſive Pindi,
Vos morantur culmina:

Huc adeſte fronte lætâ;
Moxq́ue culta per vireta,
Ferte greſſum; quæ fluentis
Irrigare turbulentis
Gaudet Iſter; ſic magiſter
Nunc Apollo præcipit.

Ite remigante pennâ.
Quà triumphat urbs Vienna:
Auſtriæq́ue mite Numen
Juliæq́ue dulce lumen
Hîc amoris, hîc honoris
Sancta jungunt fœdera.

Flore crines implicate,
Suaviterq́ue perſonate
Tibiiſq́ue bucciniſq́ue,
Barbitiſq́ue, cymbaliſq́ue,
Ter beata, ter ſacrata,
Cæſarum connubia.

Vos decora conjugatæ
Dona Nymphæ prædicate:
Ipſe plectro gratioſa,
Ipſe metro glorioſa
Prædicabo, perſonabo
Dona magni Cæſaris.

Apollo. Cæſar ortus ex amandis
Uſquequaque Ferdinandis,
Ex Philippis, Fridericis
Ex vetuſtis Childericis
Stemmatiſq́ue, ſanguiniſq́ue
Clara ducit Lumina.

Muſæ. Sponſa per Juſtinianos,
Perq́ue Maximillianos,
Per Rudolphos, Fridericos,
Per Philippos, Ludovicos
Stemma gentis, dona mentis
Ducit alto tramite.

Apollo. Qualis olim pulchriore
Caſtor emicabat ore;
Talis eminente vultu,
Talis elegante cultu,
Plenus artis atque Martis
Imperator emicat.

Muſæ. Qualis inter aſtra Luna
Pulchrior coruſcat una;
Talis una floridarum
Inter agmen Gratiarum
Magdalena ter Serenâ
Fronte lucet pulchrior.

Apollo. Mars amicus eſt Achilli,
Dextra fortis eſt Camilli:
Non minore fortis auſu,
Non minore prompta plauſu
Tela jactat, arma tractat,
Dextra magni Cæſaris.

Muſæ. Ut Diana tela librat,
Ut Camilla ſpiclâ vibrat;
Sic Philippicam Lacænam,
Juliamq́ue Magdalenam
Perq́ue capros & per apros,
Tela cernas ſpargere.

Apollo. Si quod in Catone lumen,
Si quod in Platone flumen;
Illud omne Cæſar hauſit,
Ut nec ipſe Craſſus auſit
Suavitate, lenitate
Cæſari contendere.

Muſæ. Si qua mella Suavitatis
Dexteris bibêre fatis
Læliæq́ue, Mutiæq́ue;
Juliæq́ue, Claudiæq́ue;
His abundat, & redundat
Magna mens Thereſiæ.

Apollo. Eja ſufficit Camœnæ:
Nemo dignè Magdalenæ,
Cæſariſq́ue mille dotes,
Quas ſtupebunt & Nepotes,
Prædicârit, æſtimârit,
Plectra victæ ponite.

Laus



Gasp. Bouttats Sculpsit. Loybos delin.

Laus prima rerum fœcunditas.
ſine hac nec arva placent, nec arbores:
imò nec ipſe ſibi potuit placere Deus:
Hinc & intra ſe fœcundus, & extra.
Infelix nimirum & *ſolum* eſt, & *ſolium*; in quo regnat *ſterilitas*:
Contra & *ſolo cultores*, & *ſolio Rectores* comparat *fœcunditas*.
Quid hîc mœſta ſuſpiras *Germania*?
Occurrunt ſcilicet funeſta, Merovingorum, & Carolidarum fata;
à quorum ſtemmate infelix ſterilitas tranſtulit ſceptra.
Metuis, ne ſi Titus aliquis vacuum hærede thronum deſerat;
Novus ſe in eum parricida Nero intrudat.
Sed quiſquis ille timor eſt; toto te liberat polus.
Vides hinc *coronatum papaveris verticem*;
inde floridis *diſtinctam ſtellulis Cydoniam*?
Hæc cùm aſpicis, bina vides fœcunditatis ſymbola;
vides in iis adumbratos Auguſtos Conjuges
LEOPOLDUM & ELEONORAM.
Quam *plantis* amicâ Veneris, & Gratiarum manu affuſi *liquores*;
eandem *Auguſtis conjugibus* prolixi *Dei, Divorumque favores* ſpondent *fœcunditatem*.
Hinc utrique *dabunt cum fœnore fructum*.
Omen cape ex *Auguſtæ proſapiâ*.
Ex *Eliſabethâ Ameliâ Magdalenâ ſedecim Principum Matre*, quid gigni potuit;
niſi Heroum & *Imperatorum fœcunda Berecynthia*
Eleonora Magdalena Thereſia?
Fœcundæ arboris, non niſi fœcundi ſolent eſſe ſurculi.
Quot nempe *papaver grana*, quod *nucleos* punica *mala*
ſub coronato claudunt cortice:
tot favente polo, tot plaudente ſolo
Auguſti proferent *digna coronis capita*.
Nunc ergo reſpira, infelix hactenus, Germania;
& ora Cœlites, ut diu ſervent ſoſpites Auguſtos Conjuges:
Vt pVbLICo bono, Vt IMperII throno æqVos prog!gnant præsIDes.

ΠΡΟΣΕΥΚΤΙΚΟΝ
AD AUGUSTISSIMAM
Cœli Reginam
Ut Auguſtorum Connubium ſperatâ fœcunditate recreare dignetur.

VIrgo parens & nata DeI; te prona ſaLVtant
    sIDera; VIrgIneo sVb peDe terra IaCet.
Te penes IMperII prægnantIa fata tenentVr:
    ArbItrIo fLorent regna, CaDVntqVe tVo.
DIVa potens, hVCVsqVe tVo sVb nVMIne VIVVnt,
    QVos Vaſta antIqVI TeVtonIs ora tenet.
Et preCor, Vt tVᵗI pergant qVoqVe VIVere: VerVM
    HaVD poterVnt; nIsI tV, VIrgo beata, IVVes.
AſpICe; TeVtonIæ qVo gaVDent præsIDe terræ,
    Regnat In AVson'o, ſeD sIne proLe, throno.
BIs tVLIt aCCenſas Cæſar te præsIDe tæDas;
    FLeVIt & eVersas bIs sIne LVCe faCes.
TæDa PaLatInos en tertIa sVsCIpIt Ignes,
    ArDet & ante tVos, PaſſaVa VIrgo, peDes.
SInt sVper & ſaCro regnent è ſangVIne natI;
    In ſoLIDo perſtant regna fIDeſqVe graDV.
At nIsI tV fortes hæreDe beaVerIs VLnas;
    Noſtra sVb Ignoto prInCIpe regna geMent.
Forſan & has oLIM CVpIent InVaDere terras
    Gens tIbI, gens nato non ſatIs æqVa tVo.
QVIs tVnc pro nato, pro VIrgIne Deferet arMa
    In PhLegetontæos, BIſtonIoſqVe greges?
SI DVLCes patrI natos, proaVIſq; nepotes
    DIVIno Dones robore, VIrgo, pares:
SeMper erIt; Veſtras qVI fortIter aſſerat aras,
    DefenſaſqVe bonIs perCoLat Ipſe sVIs.
FaMa freqVens natIs ſanCtI pIa geſta parentIs;
    Et parIter granDes rIte LoqVetVr aVos.
TaLIs In oDrysIos IVIt pater, InqVIet, hoſtes;
    TaLIs In Infeſtos Pannonas arMa tVLIt.
TaLIs, VbI fVſo Cæſar reMeaVerat hoſte,
    VIrgIneos orans aſtItIt ante peDes.
AVDIet hæC fortIs popVLIs narrantIbVs hæres;
    Et patre tentabIt non MInor eſſe sVo.
Et noVVs oDrysIos IbIt LeopoLDVs In hoſtes;
    VIrgIneo referens barbara Dona thoLo.
SpLenDebIt paſsIM ſaCratIs IgnIbVs ara,
    OetIngana tIbI, PaſſaVa VIrgo, tIbI.
HInC aDes, & patrIæ pLaCatIor aſpICe Vota;
    FœCVnDáſqVe IVbe CæſarIs eſſe faCes:
QVæ- tV- CVnqVe IVbes, præbet natVra IVbentI:
    Et VenIt aD IVssVs VItáqVe MórſqVe tVos.



Non omnis copia felix.

Refert, quid ferant arbores, quid gignant conjuges.
Præstabilius fuerat Agrippinæ non parere; quàm parere Neronem.
Nimirum est aliqua pejor sterilitate fœcunditas:
Nec laudabitur arbor, nisi quæ cum copiâ junxerit bonitatem
Bonum omen! Regina Gentium Germania,
Fœcunditatem spospondit amica *Venus*;
Fœcunditati *Bacchus* sociat *Bonitatem*.
Vides amabili conjugio implicatam *vite ficulneam*?
cogita dulci connubio sociatam *Leopoldo Eleonoram*.
Ficus distentos saccharo folliculos, vitis refertos ambrosiâ botros;
Plenos humanitatis & bene-volentiæ promittunt *Principes*
LEOPOLDUS & ELEONORA:
Utrique *nil nisi dulcia spondent*.
Dubitas? inspice *arborem* & æstima *fructum*.
Quid *Leopoldo benignius*? quid *humanius Eleonorâ*?
Nihil hîc in vultu torvum, nihil amarum in verbis, nihil in moribus truculentum:
Nullus hic rigor, nisi quem leges exigunt:
Nulla severitas, nisi quam aliena flagitia extorquent.
Ita hominibus *imperant*; ut *imperia condiant humanitate*.
Certat in illis cum *Majestate Comitas*, cum *authoritate affabilitas*:
Nec facilè dixeris, utra alteri palmam relinquat.
Non difficiles in accessu, non morosi in congressu;
Quam in titulis præferunt, eandem in vultu semper ostendunt serenitatem.
Quid ex tam dulci speremus arbore; nisi amabiles fructus?
Rudolphos & Ferdinandos, Fridericos & Maximilianos?
Quorum illis ab alloquio vel è plebe repulisse quempiam, fuit piaculum:
His affabilis in omnes pietas, vetus Titi conciliavit encomium;
ut dicerentur & essent
Amor & delicium humani generis.
Nimirum non potest arbor bona malos fructus facere Matth. 7. v. 18.
neC aVgVstI ConIVges orbI gIgnere, nIsI CongenItâ speCtabILes CoMItate prInCIpes.

LEOPOLDI : ELEONORÆ

AUGUSTISSIMORUM CONJUGUM

Mitis indoles & plenum humanitatis Imperium ad lætitiam provocat Germanos.

Gemat: ſceleſtis ſi qua Neronibus
Subjecta tellus, ſanguine civium
Fœdè cruentatas per omnem
Stare videt patriam Cataſtas.

Tu verò, magno terra Tuiſtoni
Regnata quondam, gaude; & amabiles
Agrisque, muſcoſisque latè
Culminibus meditare plauſus.

Qui namque ſanctas Regni Alemannici
Tenent habenas; tam placidis rotant
Tot ſceptra dextris; ut benignos
Blanda ſuis dare jura natis

Credas parentes. Hîc neque civico
Tabo rubentem barbarus objicit
Satelles haſtam; nec cruentis
Tiſiphone volitat per aulam

Armata telis: ſed viridantibus
Comas olivis cincta Benignitas
Ubique cum blandis amorum,
Cæſareâ volat æde, turbis.

Nil præter almos læta Favonios
Spirant ſacrati pectora *Cæſaris*:
Thereſa nil præter beatum
Cæſareo pluit ore nectar.

Quæ prima natos non trivialibus
Suſcepit ulnis: hûjc ego, ſeu fuit
De gente Nympharum decorâ,
Sive trium melior ſororum

Aglaja; centum crediderim latus
Circùm lepores, & faciles jocos
Stipâſſe; blandulosque Natis
Suaviter elicuiſſe riſus.

Qui primus illis pocula miſcuit;
Hunc & Deorum crediderim ſimul
Dediſſe nectar, & remiſtos
Ambroſiâ locuplete ſuccos.

Ortos beatis dixeris Inſulis;
Quas flore compti ſemper inambulant
Veris nepotes; tam ſerenos
Ore vibrant radiante ſoles.

Hinc propter Iſtri flumina, Cæſari
Dum ſurgit Hymen tertius Auſtrio;
Tædasque rurſum conjugales
Juliaci populantur ignes:

Auguſta magnæ Regna Alemanniæ
Benignitatis ſidere duplici
Perfuſa, certatim decoro
Lætitiæ fremuêre plauſu.

Nam Bruma, quamvis antè ferocior;
Mox gratioſis ſponte Favoniis
Permulſit auras: nuptiales
Cùm placidè incaluêre tædæ.

Tunc ipſe, quamvis jam properantibus
Vicina Capri ſidera Cynthius
Urgeret inſtanter quadrigis;
Luce tamen meliore totum

Perfudit axem. Quin Satyros quoque
Faunosque vidi, dulcè ſonantibus
Per regna ſylvarum cicutis,
Calce leves thyaſos rotundum

Gyrare in orbem: Cùm Semeleïus
Rhenique & Iſtri culmina, tigribus
Blandùm capiſtratis, reviſens,
Pampineos agitaret aurâ

Stridente thyrſos. Tunc fluitantibus
Circùm corymbis lætior amphoram
Silenus exhauſit, repandi
Terga ſuper reſidens aſelli.

Quin ergo, dum te non dubitabilis
Invitat æther; dum Satyri leves,
Faunique ſubſultant; novoque
Ipſa fremunt elementa plauſu;

Tandem jocoſam lætus amyſtidem
Teuto coronas? quin ſaliaribus
Menſisque, grandibusque curas
Multiplices ſubigis diotis?

Io! per orbem protinus ambulet
Spumante prægnans amphora Maſſico:
Dic, *Magdalena*; dic, trecentis
Vivat, io! *Leopoldus* annis.

Ingens



Ingens Imperii fulcrum, Benignitas:
Sed tamen infirmius, quàm ut tantam molem per ſe ſuſtineat.
Facilè illud in ruinam impellet hoſtilis impetus;
Niſi ſuam labanti *columnam* ſubjiciat *Fortitudo.*
Factum bonum! Germani.
Conjugales jungunt dexteras *Leopoldus* & *Eleonora:*
junctas ad ſceptrum manus porrigunt *Benignitas* & *Fortitudo.*
Non poteſt eſſe ruinæ periculum, ubi à talibus fulcris ſuſtinetur.
Leopoldi & *Eleonoræ* benignitatem orbis deprædicat;
Fortitudinem loquuntur acti de vitiis & hoſtibus triumphi.
Quid enim? *Leopoldus*, quot geſſit *prælia*, tot numerat *victorias:*
Quot habuit *hoſtes*, tot habet *fortitudinis teſtes.*
Eleonora, quot declinavit *vitia*; tot domuit *monſtra:*
Quot *virtutes* poſſidet; tot erexit *fortitudinis trophæa*
Gemit ſub victricibus illorum plantis calcata impietas,
Et per omnium vitiorum ſtragem victrix incedit fortitudo
LEOPOLDI & ELEONORÆ.
Quid non ſperemus ab illis?
Nimirum manet, æternúmque manebit
Et Fortunâ altius, & Invidiâ Romano-Germanici decus Imperii,
Dum in illorum humeris recumbet.
Imò ſi quando, Fatis ſic jubentibus, humeros ſubtraxerint Auguſti Atlantes;
Sanguinis & fortitudinis hæredes ſubſtituent Hercules.
Vadem habemus & vatem lepidiſſimum Deorum Vulcanum:
Cujus ſeu præſago ingenio, ſeu ingenioſo præſagio
Spei noſtræ, *fortitudini* ſuæ
Præludit in cunis novellus Hercules.
Ut ſciremus; *fortes creari fortibus;*
Ex *Peleo & Thetide, Achilles;* ex *Leopoldo & Eleonorâ Hercules:* id eſt
Maximilianos I, Carolos V, & Leopoldos I.
Ad quorum vel audita ſolùm nomina
FIDeI, ſaLVtIs & IMperII hoſtes eXpaVesCant.

HEROICA
AUSTRIACORUM FORTITUDO

Inconcussum adversùs hostiles impetus servat Imperium.

Mendaciorum prodigialium
Fœcunda mater, Græcia; turgido
Quousque confictos crepabis
Ore Deos, vacuumque Numen?

Quid vana præter nomina; Phorcidos
Audax Medusæ victor Abantius?
Magnusque Achilles, & triformis
Bellerophon domitor chimæræ?

Natura quas non progenuit feras;
Has nempe clavâ straverit Hercules!
O vana nugantis cerebri
Somnia, ridiculosque partus!

Si digna cœlo nomina quærimus;
Habspurgicorum non dubitabiles
Fastos revolvamus, Pelasge,
Et veteris monumenta famæ.

Hîc magna belli fulmina, *Carolos*,
Et *Ferdinandos* suggeret Austria:
Hîc se *Philippus*, quique nostro
Vivit adhuc, *Leopoldus*, ævo

Claris revincti tempora laureis.
Ubique sistent: & memorabiles
De gente Turcarum scelestâ
Sponte tibi referent triumphos.

Hîc auspicatas propter Echinadas,
Cœlo minantes Bistonidûm rates,
Favente Neptuno, *Philippus*
Æquoreis tumulabit undis.

Hîc impiatos Lunigerûm greges
Victorioso *Carolus* impetu
Evertet, augustosque totam
Per Libyam statuet triumphos.

Hîc decolorem sanguine Thracio
Fluxisse cernes Rabum; ubi Bistonum
Adversùs injustas movebat
Arma potens *Leopoldus* iras.

Nunc ergo, si quos tradere posthumæ
Sit cura famæ; non opus Hercule,
Fictisque Divis: sola totos
Austriadûm decora alta possunt

Implere fastos. *Carolus Herculem*,
Et *Ferdinandus Persea* pulchriùs
Apud nepotes sustinebit:
Sic patriis *Leopoldus* armis

Magnas *Achillis* veriùs exprimet,
Agetque partes: sic in Iberico
Rectore spectari Pelagus
Bellerophon poterit *Philippo*.

Ô! quis Deorum donet, ut Austriâ
De stirpe cunas parvulus impleat,
Et Patre non minor quiescat
Cæsereâ Leopoldus aulâ?

Tunc nempe cristas ambitiosior
Hostis remittens, fulminis aliti
Movere cessaret cruenta,
Marte gradum referente, bella;

Tunc & Biarmos, & furias truces
Ferocis Hunni; Tunc Othomannidûm
Ridere securè liceret
Fulmina, Bistoniasque Lunas.

Quanquam quid hoc est; quòd super aureas
Cunas tenellus lusitat Hercules,
Et torva spirantes inermi
Stringit hydros, perimitque dextrâ?

Omen beatum! Teutonidæ: favet
Secundus æther: Nam mihi Mulciber,
Magnusque jam dixit Gradivus,
Dum tumidi modò propter Istri

Se ferret undas; Cùm reparaverit
Nonum coactis Cynthia cornibus
Orbem, serenatisque tendet
Regna super nebulosa bigis;

Tunc & secundo sidere Julias
Implebit ulnas parvulus Hercules;
Tunc mentis hæredem paternæ
Austriaco recubare læti

Cernetis ostro: qui placido Patrem
Secutus ausu, fulminis æmulos
Rotabit enses; & cruentos
Marte premet, perimetque Thracas.



Sol princeps siderum, *Dei simulacrum* est:
Aquila regina volucrum, *Leopoldi* Imperatoris *Symbolum*;
Leo belluarum dominus, *Eleonoræ* Augustæ *insigne gentilitium.*
Magna est Aquilæ & Leonis in solem propensio;
Magna *Leopoldi* & *Eleonoræ* in Deum religio.
Solis ab alto splendentis *lumen* irretorto oculo *intueri*,
aquilæ & *leonis* nativa *proprietas* est;
Dei in Sacramento latentis *Numen* indefesso studio *revereri*,
Leopoldi & *Eleonoræ* hæreditaria *pietas* est.
Hic illorum scopus est, in quem collimant studia:
Hic illorum polus est, ad quem vertuntur desideria.
In hujus laudibus illorum intellectus, in hujus amoribus consumitur affectus:
& cùm sint majores omnibus, illo se gerunt ubique minores.
Hinc seu in *arâ* residet; assistunt ut *supplices*:
seu in *publicum* procedit; sequuntur ut *satellites*:
& vel pro *sceptro facem* præferunt;
sive ut *sceptri* sui *claritatem* illi acceptam referant;
sive ut spectantium *corda* in illius *amorem accendant.*
Nec jam quærere est Augustæ pietatis originem:
est, ut dixi, hæreditaria;
accepta à Majoribus, transitura ad posteros.
Habuerunt illi *Carolos* & *Rudolphos*; *Philippos* & *Wolffgangos*;
Habebunt posteri *Leopoldos* & *Eleonoras*
authores vitæ, *Magistros pietatis*:
Nec majora erunt generis, quàm pietatis incrementa.
Parentum exempla, sua nati reputabunt præcepta;
& documenta dabunt, quâ sint ab origine nati.
revivíscet in illis *Philippi* & *Ferdinandi* pietas;
& cum pietate reflorescet regnorum felicitas.
siquidem
beata regna, In qVIbVs pletas & aVIta ReLIgIo
sCeptra MoDeratVr.

AVITA

AVITA

Augustissimorum Conjugum
LEOPOLDI & ELEONORÆ
PIETAS
stabile Imperii firmamentum.

Audax Gigantum germen, Atheorum lues:
I, pervicaci fronte supremum nega
Regnare Numen: sancta sit pietas tibi
Fidesque ludus; perge, quò rapit furor;
Et per cruentas civium cædes atrox
Molire regnum; barbaram stipet frequens
Satelles aulam, & mille furiarum cohors.
Durare nequeunt regna, quæ fundat scelus.
Felix paternum tenuit Assyrius thronum,
Sceptrumque princeps; donec incessit minor
Deo, suumque retulit authori decus.
At cùm superbus incidit menti furor,
Ut se Tonanti ferret æqualem; sui
Per arva regni, perque frondosum nemus
Mugire cœpit inter hirsutos boves.
Sic Julianus sceptra, sic tulit Valens,
Dum præpotenti Numini justas dedit
Uterque laudes: ast ubi contra Deum
Jactare vetitos ore blasphemo sonos
Cœpêre; meritas Nemesis ex alto tulit
Vtrique pœnas. Inter ardentes rogos
Hic impiatum spiritum misit Stygi:
Hic, dum vibrato cœlitùs telo cadit,
Quem pernegarat, sensit invitus Deum.
Hanc nempe legem scripsit in cœlo Deus;
Ut regna pereant, quæ Deo cultum negant:
Ut regna durent, quæ Deum piè colunt.
Ecquis Rudolpho sceptra Germani dedit
Moderanda regni? quis per Albertos Duces,
Per Fridericos, perque magnorum dehinc
Seriem Nepotum, grande regnorum decus,
Contra impotentes hostium nisus, tibi,
Leopolde, misit? nempe quæ dedit patri,
Proavisque regnum; misit hæc eadem tibi
Servatque pietas. Vidit è cœlo Deus,
Cùm tu sacratâ nube velatum pedes
Sequerêre Numen, proque regali facem
Sceptro rotares: vidit & plausit polus;
Quando ante magnæ Matris & Nati pedes
Prostratus, imum fronte verrebas solum:
Et ista cernens, dixit: hic orbem regat.
O vive Cæsar! vivat æternùm thori
Thronique consors, dulce Juliadûm decus;
Paresque patri gignat, & pares sibi
Pietate natos; nec tyrannorum minas,
Nec invidorum Teuto jam metuet dolos.
Quem nempe pietas firmat, & stabilit fides;
Durat, suoque perstat in gradu thronus.

Martis



Martis & artis magna cognatio;
fortitudinis & scientiæ, necessaria est conjunctio.
nec tutum præstat hasta præsidium; nisi à libro sumpserit consilium.
Geminis nimirum Martis & artis, *fortitudinis* & *scientiæ rotis Regnorum salus vehitur*:
Alteram ab alterâ qui dividit, Regnorum gloriam evertit.
Sic sensit Cæsar; sic uterque Scipio; sic quidquid fuit in Regibus *magnum*.
Magnus Alexander, *Pompejus Magnus*; Constantinus quoque & Carolus *Magni*;
Sed dubites; *litteris*, an *armis* fuerint *Majores*.
sic *litteris arma*; sic *armis* sociabant *litteras*;
Ut ostenderent, se *utrisque* pugnare, vincere, *triumphare*.
Magnos ut esse sciremus *Augustos Conjuges*;
Magnorum æmuli decertant cum *Maximis*
De *armorum* & *litterarum* gloriâ.
De armis quid attinet dicere?
Loquantur illi, qui senserunt; Turcæ, rebelles, invidi:
Rumpantur licet odio; debent porrigere palmam.
Jam litteras non didicisse, sed cum lacte suxisse, dixeris:
Adeò penè naturalis & quasi congenita est illis scientia.
Quid *philosophia* vel veri *speculatrix* continet; quod fugiat *Leopoldum*?
Vel *morum dictatrix* præcipit; quod lateat *Eleonoram*?
Ex *eloquentiâ* æstimabis *cætera*, quæ sine *cæteris* esse non potest.
Leopoldum audis? loqui putabis *Nestorem*:
Eleonoram attendis? audire te credes *Christianam Palladem*, novam *Catharinam*.
Nec *sceptri* majus est, quàm *eloquii* in subditorum animos, *Imperium*.
Quot populis imperant, *tot* loquuntur *linguis*;
Et suo cuique idiomate jura decernunt:
Ut intelligant populi, dum *linguâ* judicantur *patriâ*;
se à *patriæ parentibus* judicari.
Si ergo Plato beatam dixit rempublicam,
in quâ philosophi regunt, & Reges philosophantur:
quantò potiori jure dixerimus
FortVnata teMpora, qVIbVs præsVnt LeopoLDVs & eLeonora.

AUGUSTI CONJUGES
LEOPOLDUS & ELEONORA

Armorum & litterarum ſcientiâ ſecuritatem præſtant Imperio.

Quisquis æterno ſociare nexu
Palladem forti metuit Gradivo:
Ille nec Martem, nec amica novit
Palladis arma.

Palladis Mavors ope deſtitutus,
Eſt potens, verùm ſine mente corpus;
Arcus eſt, verùm ſine dirigente
Spicula viſu.

Palladi Martem quoque ſubtrahamus;
Pinnulas piſci, volucrique pennas,
Et Pharetrato ſua ſubtrahemus
Spicula Partho.

Palladis ductu ſua tela fortis
Dirigit Mavors; ut agente clavo
Cymba per pontum ruit, & tumentes
Dividit undas.

Palladem Mavors juvat, & ſecundos
Ducit ad fines: ut agente nervo
Tela pelluntur, poſitamque tangunt
Parthica metam.

Regna qui ſoli moderanda Marti
Tradit; incautus dabit in pudendam
Sæpè, quæ lætâ viguêre ſorte,
Regna ruinam.

Palladi quisquis moderanda ſoli
Regna committit; malè deſtitutum,
Inter hoſtiles furias, dolebit
Viribus orbem.

Haſta Gradivi, liber eſt togatæ
Palladis telum: ſocient utrumque
Principes: tutum ſociata præſtant
Utraque regnum.

Euge; Germani moderator orbis
Nec librum ſegnis, neque tractat arma;
Jam diu junctas meritus coronas
Martis & artis.

Quantus attollat *Leopoldus* haſtam,
Nuper experti dedicêre Thraces:
Cùm ſuo tingi doluêre totum
Sanguine Rabum.

Quantus in doctæ ſtadio Minervæ
Libret auguſto ſacra tela niſu;
Jam Stagiræ ſtupuêre ſæpe
Regna palæſtræ.

Namque ſeu *Veri* proprio tuendam
Marte ſumpſiſſet *Leopoldus* arcem;
Sive jam *falſi* quateret ſeveris
Mœnia telis:

Sic per objectum ſua torſit agmen
Tela; ſic jactas repulit ſagittas:
Ut triumphatos utrobique victor
Cerneret hoſtes.

Jam nec auguſtæ ſua *Magdalena*
Tela vel Mavors, vel amica Pallas
Denegat; librum, paribusque torquet
Viribus haſtam.

Teſtis eſt cuſtos nemorum Diana;
Quæ manu Nymphæ cecidiſſe vidit
Sæpius cervos patulis vibrantes
Cornua ramis.

Teſtis Euterpe, facilisque Clio;
Diva ſolertes quibus inter ulnas
Nympha ſuccrevit, roſeoque ſuxit
Ubere nectar.

Nempe jam magni redeunt Platonis
Sæcla, cùm Reges Sophiam frequentant,
Et Sophi dextrô moderantur omnem
Numine mundum.

Plaude ter felix Alemanna pubes!
Hoſtium nec te furiale robur,
Nec rebellantum rabies doloſâ
Subruet arte.

Si ruat ſævo metuenda ferro
Biſtonum peſtis; *Leopoldus* haſtam
Victor opponet, patriisque Thracas
Exiget arvis.

Si dolos centum meditetur Hunnus;
Cæſar & facti catus & futuri
Codicis ductu vetitas furentum
Deteget artes.

Maé



Macti animis *Augusti Conjuges.*
ubi (a) *Constantiâ & virtute* res agitur;
(b) *Fortunante Deo*
(c) *Tandem*
(d) *Vincit vim virtus.*
Fremat circùm armata Rebellio,
& uno præciso capite, nova pullulet fœcunda malorum hydra:
Tandem (e) *avitâ virtute* superabitis.
Invadant regnorum terminos, quorum ambitioni (f) *Unus non sufficit orbis.*
virtute duce etiam (g) *plus ultrà* Regnorum terminos promovebitis.
Circumstent barbara tela, & lunati Turcarum acinaces:
per tela, per enses virtus viam inveniet;
& calcatis hostibus (h) *tramite recto* contendet ad palmam:
(i) *Invia Virtuti nulla est via.*
Quæcunque demum vos vel fortuna premet, vel invidia;
dum virtutem (k) *Constanter & Sincerè* colueritis,
optata semper aderit (l) *de cœlo victoria.*
Ite fidenter, (m) *quò fata trahunt* & necessitas,
Deo & Justitiæ arma vestra serviunt; non ambitioni & avaritiæ.
Qui Deo pugnat; securè dixerit;
(n) *Christus meum asylum:*
(o) *in Deo consolatio mea.*
Qui Justitiam defendit; ne metuat:
p *Justus non derelinquetur:*
q) *Justitiâ stabilitur thronus.*
Itaque vestri (r) *nec spe, nec metu* frangantur animi:
ubi debita (s) *soli Deo gloria* armorum scopus est;
ibi (t) *Dominus providebit.*
Si Deus pro nobis; (u) *quis contra nos?*
(x) *Omnia ex voluntate Dei* & regna pendent & imperia.
(y) Adjuvante Deo Superabitis Invidorum Tela:
(z) & Aquila Evadet Inimicorum Omnium Victrix.

(a) Leopoldi I. R. I.
(b) Eleonoræ Aug. Rom. Imp.
(c) Philippi Wilhelmi C. Palat. Rheni.
(d) Ludovici IV. Elect. Palat.
(e) Elisabethæ Ameliæ Magdalenæ Landgr. Hass.
(f) Francisci II. Reg. Gall.
(g) Caroli V. R. Imp.
(h) Caroli Austriaci.
(i) Georgii Joan. Com. Palat. Rhen.
(k) Joan. Casimiri C. Palat.
(l) Friderici II. Elect. Palat.
(m) Alberti Archid. Austr.
(n) Philip. Ludovici C. Palat. Rhen.
(o) Wolffgangi Wilh. C. Pal. Rhen.
(p) Alberti IV. Ducis Bavar.
(q) Friderici C. Palat. Rheni.
(r) Philippi II. Reg. Hispan.
(s) Ernesti Archid. Austr. & Georgii Gustavi C. Pal. Rhen.
(t) Maximiliani II. R. Imp.
(u) Wilhelmi & Ludovici Duc. Bavar.
(x) Rudolphi II. R. Imp.
(y) Ejusdem A. D. S. I. T.
(z) Friderici III. R. Imp. A. E I. O. V.

A D

AD REBELLES

Ut Augustorum Conjugum

LEOPOLDI & ELEONORÆ

Clementiæ se dedant;
aliàs victricibus Cæsaris armis perituri.

Ergo Gigantæis immanior ausibus, Hunne,
Cæsareas etiam perges contemnere leges?
Et neque te justi tanget reverentia sceptri;
Nec Regi juratus honos, neque judice cælo
Jam toties promissa fides? ah! desine tandem,
Desine sacrilego nimium indulgere furori.
In Dominum sumptis quisquis surrexerat armis;
Infelix periit. Jessidæ perfida movit
Bella patri natus: sed mox vindicta nefandum
Insequitur Divina caput, quercusque pependit
Infelix spolium; qui jam Regale parentis
Ausus erat sperare decus, Regnumque pacisci.
Jam quid ego Helotas, dominam Lacedæmona ferro
Infestare ausos; positis sed denique telis
Infami cervice jugum tolerare coactos?
Quid, Malcolme, tuo suppressos ense Moravos?
Quid simili extinctas referam discrimine gentes?
Albet adhuc Germanus ager, sparsisque laborat
Ossibus Agricolæ; quem dira rebellio nuper
Jusserat in Dominum sumptis consurgere telis.
Scilicet hoc superi nunquam violabile fatum
Perfidiæ scripsêre; suis ut denique telis
Occidat, & meritas pendat pro crimine pœnas.
Et tu, crede mihi, commissa piacula solves,
Hunne ferox; nisi colla tuo submittere Regi
Mitior inclines. Vidi jam fulmina cudi
In dirum ferienda caput. Nec tela Tonantis
Vitavit Capaneûs, nec demens turba Gigantum.
Nec tu, Lernæâ quamvis immanior hydrâ
Ter centum capita attollas, totidemque revulsis
Tot nova succrescant; certæ te Numinis iræ
Eripies. Quam sacra tuis altaria flammis
Diruta, & innocuo stagnantes sanguine campi
Vindictam exposcunt; tandem scelerate subibis.
Aspicis? Austriacus dextro modo Numine clavam
Sustulit Alcides, atque in tua funera librat.
Quid facis? ah demens! nisi justam Cæsaris iram
Flexeris obsequio; nec te Fortuna tueri,
Si velit, ipsa potest, certoque absolvere fato.
Ergo tui tandem, tandem miserere tuorum:
Et, quæ tela furor dederat, depone; tuique
Regis in obsequium, post tot miseranda tuorum
Funera, sponte redi. Quorsum, cùm vivere possis;
Sponte perire voles? ah cæcum pone furorem,
Et Domino Te redde tuo, supplexque paternas
Accipe, quas offert Cæsar cum Conjuge Leges.

Alter-



Alternant omnia;
Læta cum triſtibus, adverſa cum ſecundis.
Quàm fœda *bellorum tempeſtas* jam dudum *concuſſit Imperium*?
Ferales lunæ, tormentorum tonitrua, telorum grandines, imbréſque ſanguinei
ultima Germaniæ fata minitari videbantur.
Sed *dedit Deus his quoque finem.*
Quam noſtra induxerant ſcelera.
Tua, *Leopolde, pietas & fortitudo diſpulit bellorum tempeſtatem.*
Sine te eſſet; jam dudum ſub alieno jugo captiva gemeret Germana libertas.
Teſtis *Rabus*, ubi *fregiſti* lunata *Othomannidûm agmina:*
Teſtis *Hungaria*, ubi contudiſti *rebellia* contumacis *Hydræ capita:*
Teſtis *Rhenus*, ubi ab injuſtâ ſervitute *Philippopolim* vendicaſti.
Agnoſcit grata, agnoſcétque, dum ſtabit, *Germania:*
& jam pridem promeritos *ſervatori* adornaſſet *triumphos*;
niſi TV maluiſſes novos *hoſtes vincere*; quàm *de victis triumphare:*
ut ſic multiplicatas *palmas divideres cum conſorte.*
Bene eſt, *Leopolde:* aſpirant votis ſidera.
Adeſt modò & thori conſors & Imperii ELEONORA MAGDALENA THERESIA.
Noli differre *triumphos*, quando adeſt, tibi *paritura triumphatores.*
Ecce in Auguſtos amplexus ſponte properat amicus Mavors,
Non jam Furore, ut olim, & Tyrannide; ſed *Pace* ſtipatus & *Cerere:*
Pro *gladio & haſtâ*, viridem prætendit dextera *palmam*;
Pro *falcatis curribus*, *triumphalem* tibi *currum* oſtendit.
Porrige Auguſtam, *Leopolde*, dexteram, & *palmam* accipe;
eſt hæc *victori debita merces.*
Abſterge belli pulverem, & *currum triumphalem* conſcende;
Et qui *triumphi ſocios*, Romanorum ritu, non potes habere *filios*;
habe *filiorum Matrem*
Eleonoram Magdalenam Thereſiam.
Nos interim triumphantibus læti acclamabimus:
VIVant trIVMphent orbIs & æVI DeLICIæ
LEOPOLDUS & ELEONORA.

EPINICION

Augustissimo & Invictissimo

IMPERATORI. LEOPOLDO

Ob sæpius devictos feliciter hostes.

Tandem, quod olim sæpe rogaveras
Germane, Divos; accidit: hostium
Subjecta Germano laborant
Colla jugo; facilemque poscunt

Post arma pacem. Dux Othomannidûm
Jam ter subactus Teutonico dedit
Palmam Monarchæ; ter secundo
Marte feri cecidêre Thraces.

Quid ense possit Teuto; Rebellium
Jam turba sentit: dum lacrymabili
Urbesque, florentesque campos
Mœsta videt periisse fato.

Quid sit cruento Marte lacessere
Dilecta Divis Regna Alemannidûm;
Gustavus & ferro minores
Teutonico didicêre Sueci.

Jacent & enses sanguine Noricos
Tinxêre Daci: vidimus hostium
Cruore fœdatum recenter
Sæpius erubuisse Rhenum.

Io! decoris tempora protinus,
Germana pubes, cingite laureis:
Io! triumphales per omnem
Teutoniam statuantur arcus.

Vicina læto saxa remugiant
Perculsa plausu: tympana, buccinæ,
Tormenta, bombardæque festos
Ter repetant per inane bombos.

Recente spument pocula Libero,
Novumque pangat Lesbia barbitos
Carmen; coronatasque ducant
Ad numeros pueri choreas.

Jam, qui Bootæ sidere frigido
Torquentur hostes, sponte Alemannicos
Fasces adorabunt, novoque
Grande ferent Domino tributum.

Jam Thrax & atrox Bistonidum lues
Germana supplex sceptra verebitur,
Armisque projectis rogabit
Ferre tuas, *Leopolde*, leges.

Sic, quæ Gradivi jam furialibûs
Equos flagellis torva per Hungaros
Urgebat agros; dum cruentis
Sponte caput spoliaret hydris;

Bellona dixit. Jamque ego Thracio
Ex orbe Martem promeritas diu
Palmas, triumphalesque vidi
Ferre tibi, *Leopolde*, currus.

Jam, quæ citatis vecta draconibus
Germana nuper Regna reliquerat;
Eleusis inverso spospondit
Teutonicas peragrare rursum

Temone terras: Jam, resonantibus
Quæ nuper armis territa fugerat;
Pax alma Germanos sereno
Instituit recreare vultu.

O dulce mundi Teutonici decus,
Lumenque, Cæsar: quis meritum tibi
Pæana vates; quis sat æquos
Voce canet, citharâve plausus?

Non, si relictâ Phocide Delius
Cum dedicato Castalidum choro
Nervosque distendat, fidesque
Percutiat meliore plectro;

Te digna promat. Tu miserabili
Fato ruentem sæpe Alemanniam
Cervice subjectâ reponis
Marmarico potior Tyranno.

Tu, cùm trecentis cincta furoribus
Et hinc & illinc Regna ferociùs
Bellona discerpit; scelestos
Ense premis, reprimisque nisus.

Quòd nempe vivit Teuto; quòd hostium
Furore major latiùs imperat:
Id munus acceptum fatetur
Esse tuæ, Leopolde, dextræ.

Hinc, dum citatis Cynthia curribus
Per astra tendet; dicet: amabilis
Cæsar triumphet, & perennet
Per Pylios Leopoldus annos.

Arc:



Arcum & animum si nimium distenderis, perdes:
Utrique, si justam per intervalla *quietem concesseris*;
Accedet *major post otia virtus*.
Est hæc *mortalium* conditio, ut alternâ *quiete gaudeant:*
Hac qui se egere non existimat, oblitus est, esse se *mortalem.*
Augusti conjuges, Maximi Cæsares
LEOPOLDE & ELEONORA,
Qui vos *mortalibus* præfecit, reliquit *mortales:*
Communi lege nati, *communem* accepistis *quietis necessitatem*;
Tantò *majorem*, quantò *major* vobis curarum *moles incumbit.*
Dum *orbem* regendum suscepistis; *par orbi pondus* in vos transtulistis;
Onus nullum gravius sceptro & coronâ:
hæc qui suscipit; omnium subditorum sibi curas imponit.
Ut ne tantâ sub mole fatiscant Augusta pectora,
Iuvat quandoque remitti,
Et *pondus*, quod omnino deponi non potest; *mutari cum Leviore.*
Sic *clavam Hercules*, sic *pharetram* cum *citharâ* mutabat *Achilles*,
solvebátque graves sumptâ testudine curas.
Vobis si cithara displicet; aliud *curarum remedium suggerit Diana*,
Et longa *bellorum tædia* solari jubet *lætiore* cum *belluis bello.*
Divinum divæ consilium?
Nimirum ut *Aquilarum* & *Leonum*, sic *Augustarum mentium ludus est, Venatio.*
Hac curas frangebant *Alberti, Maximiliani, & Ferdinandi Austriaci*;
Hac animos reficiebant *Alexandri, Wolffgangi & Philippi Palatini.*
Displicere non potest; quod *majoribus*, quod *Vobis* semper *placuit*,
Severioris militiæ jucundum sine noxa rudimentum.
Nimirum cùm in *sylvis Austriæ*, cùm in *saltibus Juliæ*
Quot *tela mittebatis*, tot *sternebatis feras*;
Diana coràm *spectatrix aderat.*
Hinc *pharetram* præsens, hinc porrigit *arcum* non ineruditis *dexteris.*
Accipite Divæ *munera*; & in iis *curarum remedia*, virium incrementa.
Vt pro nostro Voto, pro pVbLICo bono, DIV præesse possItIs IMperIo.

AUGU-

AUGUSTI CONJUGES

Post Regnorum & bellorum curas invitantur ad venationem.

Eja Cæsar alme, duras
Rumpe lætâ sorte curas:
Et peractis mille bellis,
Expedita tot procellis
Verte vela, pone tela,
  Pone finem præliis.
Eja mundi spes amœna,
Imperatrix Magdalena,
Post tot arduos labores,
Postque Martios furores
Te quietis atque lætis
  Da subinde gaudiis.
Eja regni mole pressi,
Eja durâ sorte fessi,
Ite læti, quò Diana
Rura propter Martiana
Vos vocavit & citavit
  Ad jocosa prælia.
Hîc ferociente bello
Aut Hylactor, aut Aëllo
Nunc minace dente capros,
Nunc furentes urget apros;
Et palato delicato
  Grata sternit prandia.
Ite: namque grata bella,
Blanda Baucis & Thyella,
Et Lycaste cum Lycori,
Et Pherusa cum Pelori,
Apparavit; & locavit
  Mille cervis retia.
Ite: namque jam Deorum
Turba læta rusticorum,
Nempe Panes atque Fauni,
Derelicto rure Dauni
Advolârunt & parârunt
  Mille vobis gaudia.
Perstrepente Pan cicutâ
Metra pangit: hæc acutâ
Aure quando Faunus audit;
Dulcè ridet, atque plaudit:
Et Napæas ad choreas
  Hymnidesque provocat.

Hîc sub umbrâ, sive Dio,
Cum camœnis alma Clio,
Gesta magni Ferdinandi,
Et Philippi, voce grandi
Personatque, provocatque
  Ad Patrum vestigia.
Talis olim, dicit, hastâ,
Sive telo, sæpe vasta
Monstra stravit Ferdinandus;
Quique sæpe nominandus
Est Iberis, & severis
  Allemannis Carolus.
Sic Philippus ora gessit,
Quando cervos ense pressit:
Talis olim Fridericus,
Talis ibat Ludovicus;
Cum machærâ, vel severâ
  Fixit hastâ bubalos.
Ergo Patres æmulati,
Ite fortes & citati;
Quà ferarum turba grata,
Regna Sylvæ delicata
Pervagatur, & jocatur
  Gratiosis saltibus.
En, Diana blandularum
Cum cohorte Gratiarum
Præstolatur; ut venire
Et beata mox subire
HymnidumqueNajadumque
  Annuatis agmina.
En, Melampus ore largus,
Et Molossus & Podargus
Stricta mordet ore lora,
Et solutus, in decora
Saltuumque Montiumque
  Gestit ire culmina.
En, Lycisca, Vertagusque,
Harpalusque, Pamphagusq;,
Inque cervos, & capellas,
Inque damulas tenellas
Ore miras spirat iras:
  Ite Magni Conjuges.

AD LECTOREM.

Causa seræ gratulationis.

sCIre pLaCet, thetIDos CVr post ConnVbIa faCta
  serIVs appeLLant, tVrba beata, DII?
Et VIa Longa sat est, & frIgora DIra reportans
  BrVMa, profeCtVrIs non satIs apta fVIt.
InsVper, ætnæo qVI Dona parabat In antro,
  DebVIt effraCto LentIVs Ire peDe.

Coloniæ Agrippinæ, Typis PETRI ALSTORFF Julio-Dalensis. Anno 1676.

